

nullam gratiam ligni.

De fruticibus & arboribus nostri maris,  
atq; rubri, & Indici. CAP. XXV.

**N**Ascuntur & in mari frutices arboresq; minores in nostro. Rubrum enim & totus orientis oceanus refertus est syluis. Non habet lingua alia nomen, quod Græci uocant phycos: quoniam alga herbarum magis uocabulum intelligitur: hic autem est frutex. Folia lata colore uiridi gignit, quod quidam prason uocant, alij zostera. Alterum genus eiusdem, capillaceo folio simile sceniculo, in saxis nascitur: superius in uadis haud procul littore: uerno utrunque, & interit autumnus. Circa Cretam insulam nato in petris purpuras quoque inficiunt, laudatissimo à parte aquilonis, aut cum spongijs. Tertium est gramini simile, radice geniculata & caule, qualiter calami. Aliud genus fruticum brion uocatur, folio lactuca, rugosiore tantum, iam hoc interius nascens. In alto uero abies & quercus cubitali altitudine. Ramis earum adhærent conchæ. Quercu etiam tingi lanas tradunt. Glandem etiam quasdam ferre in alto: naufragis hæc depræhensa urinantibusque. Et alie traduntur prægrades circa Sicyonem. Vitis enim passim nascitur. Sed ficus sine folijs, rubro cortice. Fit & palma fruticum generis. Extra Herculis columnas porri fronde nascitur frutex, & alius lauri & thymi, qui ambo eiekti in pumicem transfigurantur. At in oriente mirum est, statim à Copto per solitudines nihil gigni præter spinam, quæ sitiens uocatur, & hanc rarâ admodum. In mari uero rubro syluas uiuere, laurum maxime & oliuam ferentem baccas: & cum pluat, fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem. Fruticum ipsorum magnitudo ternorum est cubitorum, caniculis referta, uix ut prospicere è nauis tutum sit, remos plerumq; ipsos inuadentibus. Qui nauigauere in Indos Alexandri milites, frondem marinarum arborum tradidere in aqua uiridem fuisse, exemptam sole protinus in salem arefcentem. Inucos quoque lapideos perquam similes ueris per littora, & in alto quasdam arbusculas colore bubuli cornus ramosas, & cacumimbus rubentes: cum tractarentur, utri modo fragiles, in igne autem ut ferrum inardescentes, restinctis colore suo redeunte. eodem tractu insularum syluas operit æstus, quam altiores platanis populisq; altissimis. Folia ijs lauri, flos uiolæ & odore & colore. Bacca ut oleis et ipse odoris iucundi autumno nascetes, folijs nunquam deciduis. Harum minores totas integit mare. Maximum cacumina extant, ad quæ naues religantur: & cum recessit æstus, ad radices. Alias quoque arbores in alto ab eisdem accepimus eodem in mari uisas, semper folia retinentes: fructu earum lupino simili. Iuba tradit circa Troglodytarum insulas fruticem in alto uocari Ifidos plocamon, corallio similem, sine folijs: præcisum mutato colore in nigrum durefcere. Cum cadat, frangi. Item alium qui uocetur charitoblepha-

ron, efficacem in amatorijs. Spatalia eo facere & nomilia feminas. Sentire eum se capi, durarique cornus modo, & hebetare aciem ferri. Quod si sefellerint insidia, in lapidem transfigurari.

C. PLINII SECUNDI  
NATURALIS HISTORIÆ  
LIBER XIII.

In quo fructiferae arbores traduntur.

PROOEMIUM.



**X**TERNÆ arbores, in docilesque nasci alibi quam ubi cæpere, & quæ in alienas non commeant terras, hætenus fere sunt. Licetque iam de communibus loqui, quarum omnium peculiaris parens uideri potest Italia. Noscentes tantum meminerint, naturas earum à nobis interim dici, non culturas. Quamquam & colendi maxima in natura portio est. Illud satis mirari non queo, interisse quarundam memoriam: atque etiam nominum, quæ autores prodidere, notitiam. Quis enim non communicato orbe terrarum, maiestate Romani imperij profecisse uitam putet commercio rerum ac societate festæ pacis, omniaque etiam quæ occulta ante fuerant, in promiscuo usu facta? At hercule non reperiuntur qui norint multa ab antiquis prodita: tãto priscorum cura fertilior, aut industria felicitior fuit, ante milia annorum inter principia literarum Hesiodo præcepta agricolis pandere orso, subsecutisque non paucis hanc curam eius, unde nobis creuit labor. Quippe cum requirenda sint non solum postea inuenta, uerum etiam ea quæ inuenerant prisca, desidia rerum intermissione memoria inducta. Cuius somni causas quis alias quam publicas mundi inuenerit? Nimirum alij subiere ritus, circaque alia mentes hominum detinentur, & auaricia tantum artes coluntur. Antea inclusis gentium imperijs intra ipsas, ideoque & ingenijs, quadam sterilitate fortuna, necesse erat animi bona exercere: regesque innumeri honore artium colebantur, & in ostentatione has præferebant opum, immortalitatem sibi per illas prorogari arbitrâtes. Quare abundabât & præmia & opera uite. Posteris laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit, postquam senator censu legi cæptus, iudex fieri censu, magistratum ducemque nil magis exornare quam census: postquam cæpere orbitas in autoritate summa & potentia esse, captatio in quæstu fertilissimo, ac sola gaudia in possidendo, pessimum iere uite pretia: oesque à maximo bono liberales dictæ artes, in contrarium cecidere, ac seruitute sola profici cæptum: hanc alius alio modo, & in alijs adorare, eodem tamen habendi quo eat spes oium, tendente uoto. Passim uero etiam egregij aliena uitia, quam bona sua colere malle. Ergo hercule uoluptas uiuere